

Johann Sauerbrei    Jacob Schmaltz

**Diatriben Academicam De Foeminarum Eruditione Posteriolem Consensu  
Inclutae Facultatis Philosophicae in alma Lipsiensi Praeses M. Johannes  
Sauerbrei/ Hilperhusa-Francus Alumnus Saxo-Ducalis Coburgicus, d. VI.  
Septembr. A.O.R. MDCLXXI. in Collegii Maioris Principum Auditorio Publico  
Eruditorum Examini proponit Respondente Jacobo Smalcio, Altenb. Misn. Phil. &  
Bon. Art. Baccalaureo**


Lipsiae: Hahnus, 1671

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830124438>

Druck    Freier  Zugang









*B6-1053<sup>1-31</sup>*



Ex  
Bibliotheca  
Academiae  
Rostochiensis

2.

3.

4.

7.







27. XXXI.

I. S.

DIATRIBEN ACADEMICAM

De

FOEMINARUM  
ERUDITIONE

Posteriozem

Consensu Inclutæ Facultatis Philoso-  
phicæ in alma

LIPSIENSI

PRÆSES

M. JOHANNES Sauerbrei/

Hilperhusâ - Francus

Alumnus Saxo - Ducalis Coburgicus,

d. VI. Septembr. A. O. R. clc lcc LXXI.

in Collegii Majoris Principum Auditorio

Publico Eruditorum Examini

proponit

RESPONDENTE

JACOBO SMALCIO, Altenb. Misn.

Philos. & Bon. Art. Baccalaureo.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.



*ILLUSTRISSIMÆ DOMINÆ,*  
VIRGINI  
ERUDITISSIMÆ,  
DOMINÆ  
**HENRIETTÆ**  
**CATHARINÆ,**  
*ILLUSTRISSIMI ET GENEROSISSIMI*  
DOMINI,  
**DOMINI CAROLI, LIBERI**  
BARONIS A Friesen/  
DYNASTÆ IN Röchau/Cotte ET Geschwig/  
*SERENISSIMI AC POTENTISSIMI*  
*ELECTORIS SAXONIÆ*  
**COMITIS ATQVE CONSILIARII**  
**INTIMI,**  
NEC NON ELECTORALIS SAXONICI  
PROTOSYNEDRII PRÆSIDIS  
EMINENTISSIMI  
**FILIÆ NATU MAJORI,**  
*DOMINÆ GRATIOSISSIMÆ*  
S.



GENEROSISSIMÆ DOMINÆ,  
FOEMINÆ  
ERUDITISSIMÆ,  
DOMINÆ  
**MARGARETHÆ**  
**SIBYLLÆ,**  
*GENEROSISSIMI, MAGNIFICI ATQVE*  
*MAXIME STRENUI DOMINI,*  
**DOMINI CONRADI LÖSERI,**  
*TOPARCHÆ IN Salitz/Reinhartz/Heini-*  
*chen ET Mengersdorff/*  
*SERENISSIMI AC POTENTISSIMI*  
*ELECTORIS SAXONIÆ*  
**CONSILIARII, CAMERARII**  
**ATQVE ELECTORATUS SAXONICI**  
*MARESCHALLI HÆREDITARI,*  
**NEC NON STATUUM PROVINCIALIUM IN**  
**DUCAT. SAXO-ALTENB. PRIMI OLIM**  
*EMINENTISSIMI*  
**VIDUÆ,**  
**DOMINÆ GRATIOSÆ**  
**P.**



*ILLUSTRISSIMA DOMINA,  
DOMINA ITEM GENEROSISSIMA,*



Onspectum Vestrum, ERUDITISSIMÆ  
ERUDITORUM DEÆ, tenues hæ pagellæ  
Augustis Nominibus vestris superbien-  
tes pati sustinent: Imò in manibus quo-  
que Vestris versari atque favore Gratio-  
fissimò audaces suscipi desiderant. Equidem plura  
erant, quæ nos minorum gentium homines deterrere  
debebant, ne tantam Gratiam Vestram huic parùm ex-  
asciatæ Diatribæ exoraremus. Quis enim nescit Na-  
turam propitiam ad delicias usque in VOBIS indulgen-  
tissimam extitisse, ut, quæ singulatim in aliis, in Utra-  
que Vestrum simul intueri, mirari, venerari juberemur?  
Utraque sanguine DEOS propius contingitis: Utra-  
que Virtutum omnium exemplar consummatissimum  
auditis, imò Ambrosianò verbò, Profapia Virtutis:  
Et quod rei caput est, Utraque supra sexum atque se-  
culi genium eruditæ estis: O rarissimam Charitum  
trigam in bigâ Charitum rarissimâ! Hæc sanè ab au-  
daci hoc institutò nos revocare debuissent. Sed da-  
bitis, HEROINÆ, dabitis veniam, quòd Tholo Ve-  
stro



stro adgeniculemus, cum nos manu quasi duxerint a-  
micæ svasiones & Præceptorum & Patroni cujusdam  
Magni, quibuscum Gratosissimus vester favor toti-  
es literarium sectatur otium, quorum itidem svasio-  
nes nobis imperia erant. Et cui potissimum has no-  
stras opellas consecrarem, quàm VOBIS, utpote  
quarum Nobilissimam patrem debita Encomia Ve-  
stra fecerint? Non certè diffitemur plures Fœminas  
Eruditas à nobis memorari, quæ tanquam Illustris  
Pharos venturis nepotibus ideò prælucent, ut ista pro-  
digia humanæ scientiæ in compendiosâ quadam Ta-  
bulâ omnes è longinqvò suspiciant atq; admirentur,  
& si naturæ benignitas concesserit, imitentur. Sed,  
utut magna hæc sint exempla, facilè tamen eadem  
VOBIS scepra submitunt. Nec dubium est, quin,  
si incredibilis Virtus atq; Eruditio Vestra in illa in-  
cidisset tempora, quibus Apotheosis dotes has remune-  
ratur, jam olim & Vos Heroinarum splendorem  
obscuraturæ & in templis tanquam Numina cœlitus  
demissa adorandæ fuissetis. Quamvis nec VOBIS  
Templa desint. Neque enim Amplius VOBIS aut  
Magnificentius erigi potest Templum, quàm quod  
quivis in adyto pectoris sui ex Virtutis atq; Erudi-  
tionis Vestræ admiratione construxit. Quid igitur  
mirum, si nos in parendi sortem geniti, Templa hæc  
adornemus & coronas aris eorundem appendamus.

Avi-



Aviculas siquidem ajunt, cùm nihil possent opulenti-  
tius, plumas ad Magnificentissimum Delphici Apol-  
linis Templum, sicut & apes ceras ultrò detulisse:  
Sic & nos ad hæc tot Gloriæ Vestræ Tempa exigu-  
am hanc quoque opellam nostram adjungimus.  
Hanc itaque, STOLATI MUSARUM GRATIARUMQUE  
DOCTORES, ex Eminentè Dignitatis Vestræ Fastigio  
serenabitis, nostrisque studiis Gratosissimè favebi-  
tis. Interea Valetè, PROPITIÆ ERUDITORUM DEÆ,  
atque hîc sospites, alibi beatæ perennate, quæ jam-  
dudum Virtute atque Eruditione propitiam NOMI-  
NIBUS VESTRIS reddidistis Æternitatem! Dabantur  
è celeberrimâ LIPSIENSI, prid. Non. Septembr. Anno  
à partu Virginis-Matris ch lbc LXXI.

ILLUSTRISSIMI GENEROSISSIMIQUE  
NOMINIS VESTRI

*Cultores devotissimi*

PRÆSES & RESPONDENS.





## JESU Secundante!

### THE S I S III.

Eruditionem maribus non foeminis determinatè  
imperat lex Naturæ.

Ἐκθεσις.

§. 1.

**V**T autem eò felicitiùs atqve inoffenso, quod dicunt,  
pede in probatione thesæ nostræ progredi queamus,  
necesse erit breviter unius alteriusve vocabuli  
in thesi occurrentis prælibare acceptionem.

§. 2. Atqve Eruditionis quidem nomine tam  
in præfenti, quàm in subsequituris thesibus aliud no-  
bis intelligendum non venit, quàm quod thesi primæ in Disputatio-  
ne priori subjectum legitur, scilicet Eruditionem denotare acqui-  
sitos illos animi habitus, qui pro diversitate quatuor Facultatum ho-  
diè in Academiis receptarum ibidem ordinati fuerunt in habitus  
Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ atqve Philosophiæ, ita tamen  
ut nec hoc loco ab hac Philologiæ studium excludatur, sed certò mo-  
dò sub ipsâ contineatur.

§. 3. Id saltem circa eruditionem hoc loco non incommodè  
monendum amplius censeo, eandem scil. eruditionem quocunqve  
ex quatuor his recensitis partibus nomine veniat, non esse censend-  
um finem hominis ultimum, sed tantum intermedium.

§. 4. Nam si ultimus ejusdem finis esset eruditio, nemo beatus  
esset, nisi excultus literis, nemo item excultus esset literis, quin si-  
mul beatus, quorum tamen utrumqve si universaliter intelligatur,  
falsum est.

§. 5. Intermedium autem finem esse statuo eruditionem ex  
illo finium genere, qui simul utiles sunt simul jucundi, ut ad eò &  
propter aliud & propter se appeti queat.

§. 6. Pro-



§. 6. Propter se appetitur Eruditio ob insignem voluptatem, quâ animum hominis imbuit. Scire enim perinde ac discere α) res per se jucunda est homini, adeò quidem, ut quam voluptatem cibus creat corpori, eandem cognitio creet animo.

α) Inde verè Aristot. lib. de Poët. cap. 4. dixit: *Μακρῶν δὲ μόνον ἔστι Φιλοσόφοις ἡδίστον, ἀλλὰ καὶ ἔστι ἀλλοίσι ομοίως.* i. e. discere non solum philosophis jucundissimum, sed etiam similiter aliis.

§. 7. Facit tamen diversitas uti palatorum, ut non omnes æquè cibi omnibus stomachis; ita ingeniorum, ut non omnes scientiæ omnibus hominibus sapiant, sed alius aliâ magis delectetur.

§. 8. Imò uti inordinatum ciborum appetitum Scholæ Medicorum proscribunt, cùm fastidientis sit stomachi omnia vel plura degustare, ita appetitum cognitionis inordinatum & excessivum β) meritò proscriptum legimus, quasi ineptius nihil sit γ), quàm memoriã tantâ rerum cogitandarum mole gravare, quam vix ac ne vix quidem possit conservare.

β) Si Walæo credimus p. 126. comp. Eth. Aristot. ex sententia Aristotelis nemo re honestâ niuisum delectari potest. Non ergo dabitur secundum eum excessivus cognitionis appetitus. Enimverò quòd malè interpretatus fuerit Walæus verba Philosophi dudum animadvertit Celeberimus Dn. Prof. THOMASIUS. Præceptor noster jugi observantiã colendus, in *Disput. Ethic. de officio Hominiis circa notitiã futurorum contingentium*, §. 2. annot. lit. c. ubi Philosophum sic vindicat, quòd ipse loco Nicom. jam cit. ajat, circa voluptates animi & quæcunquæ non sunt corporeæ (ad quas disertè & *Φιλομάθειαν*, quam nos cognitionis appetitum vocamus, retulerat) nec temperantem dicit quæcunquæ, nec intemperantem. Quòd velit esse quidem in his, ut mediocritati, sic excessui locum: sed aliis nominibus, si verborum quis studeat proprietati, opus fore, quàm Temperantiæ, intemperantiæve. Ideò mox Philosophum addere, qui fabellarum cupiditate, studioque rerum narrandarum ducantur, eos non vocari intemperantes (*ἀκολάστους*) sed garrulos (*ἀδολέγητους*).

γ) Ita enim Hypp. apud Athenæum:

Vanius haud quicquam, quàm scire & discere multò.

Quod nostro quoque simili olim declaravit Aristippus apud Laert. inquit: *Non quæ plurima, sed quæ utilissima norunt docti, autumandi, ut non ii, quæ plurimum comedunt, melius valent iis, quæ modicè. Omnia amplecti, quæ vult, omnia perdit.* Vide Sanchez de Nihilo p. 30. Aliò quoque simili nec minùs eleganti hac in re utitur Demetrius Cynicus, qui dicere solitus fuit: *Plus prodesse, si pauca præcepta sapien-*

tia



26  
tia senescit, sed illa in promptu tibi & usu sunt, quam si multa quædam didiceris, sed illa non habeas ad manum. Nam quemadmodum magnus heretator est, non qui omnes numeros nexibusq; perdidicit, quorum usus sub adversario rarus est; sed qui in uno se aut altero bene exercuit & eorum occasiones intente expectat; Nec enim refert, quam multa sciat, si scit, quantum victoria satis. &c. Vid. Senec. 7. de Benef. cap. 1.

§. 9. Sed ut è diverticulo redeamus in viam, nascitur interdum illa varietas à consuetudine, quæ altera & affabricata quasi natura est. Nam & hæc uti certos cibos; sic certas, quibus innutriti sumus, disciplinas nobis commendat. d)

d) Cic. in Læl. p. 109. Nemo est, qui non eo (equo), quo consecutus, libentius utatur, quam intructato & novo. Nec modo in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quæ sunt inanima, consuetudo valet, cum locis etiam ipsis montosis delectemur, & sylvestribus, in quibus diutius commorati sumus.

§. 10. Notandum tamen hoc loco non sic debere appeti eruditionem ob voluptatem, ut in voluptate hac tanquam ultimo fine quis acquiescat, sed ulterius transferri omnia debere ad gloriam DEI, & suum saltem cuiusque in pietate & probitate profectum.

§. 11. Quatenus propter aliud appetitur eruditio, instrumentum rectè appellabitur. Est autem Eruditio vel instrumentum alterius instrumenti, ut Philosophia, vel instrumentum ad finem hominis proprius accedens, ut reliquæ tres Facultates.

§. 12. E quibus Medicina finem hominis ut animalis; Jurisprudencia verò & Theologia finem hominis ut hominis attingunt, ita quidem ut illa ad hujus; hæc verò ad alterius & æternæ vitæ beatitudinem ordinata sit, aut si maximè & æternam beatitudinem Jurisprudencia curat, extra tamen Ecclesiam illud facit, non intra eandem, quemadmodum Princeps secularis Episcopus dicitur non intra sed extra Ecclesiam.

§. 13. Porrò quando in thesi dicitur Eruditionem *maribus* determinatè imperari à natura, non sic intelligendum est, quasi omnibus marium individuis eruditio à natura imperetur; sed illis tantum, qui vocantur ad munus gubernandi Ecclesias, quo nomine & Scholas complector ε), vel republicas.

ε) Sunt enim inseparabiliter connexæ scholæ & Ecclesiæ, & scholæ pars sunt Ecclesiæ pretiosissima, quæ divino consilio semper additæ Ecclesiis fuere, & adjungi adhuc oportet, uti loquitur communis Germaniæ

B

Præ-



Præceptor Phil. Melancht. Tom. 5. Intimationum, Anno 1563. confer B. Luth. sermon. Convival. cap. 37. p. 457.

§. 14. Cætera thesis in se clara & perspicua satis est, accedimus igitur probationem thesæ ipsam. Cum v. prægnans quasi sit thesis hæc, & duas distinctas in se contineat theses, quarum altera affirmativa hæc: *Eruditionem maribus determinatè imperat lex natura*, altera negativa hæc: *Eruditionem feminis Lex natura non imperat*: proinde utraqve singulatim probanda erit, ita tamen ut in probatione posterioris negativæ tanquam argumento nostro propioris prolixioribus, in probatione verò prioris affirmativæ tanquam ab argumento nostro remotioris brevioribus nobis esse liceat.

§. 15. Eruditionem igitur Theologicam maribus determinatè imperari à Lege naturæ probo, quia mares natura determinatè destinavit Imperio Ecclesiastico interno, quod sine Theologia eaqve Systematicè ac specificè sic dicta ζ) hodiè η) obiri nequit.

ζ) Mutuamur appellationem hanc à Theologis, qui quemlibet fidelem, qui Catechesin & fundamenta fidei Christianæ didicit, *Etymologicè Theologum* vocant juxta tritum: *Propter Conscientiam quolibet debet esse Theologus*, licet non sit Theologus *specificè* ab habitu Theologiæ *Systematicè* sic dictus.

η) Scil. propter introductas hæreses. Inde Theologi iterum Theologiam necessariam esse dicunt *necessitate non affirmatâ sed negatâ, item necessitate fidei salvifica defendenda, non imbibenda* Vid. Colleg. Theol. Thetic. Magnif. atqve Max. Rev. Dn. D. Joh. Adam. SCHERZERI, Præceptoris nostri Optimi, Prolegom. de Theol. Natur. th. 2. Object. 1. Respond. 1. 2.

§. 16. Dixi *interno*, ne quis objiciat Principes seculares à natura quidem destinari imperio Ecclesiastico, cui tamen sine eruditione ejusmodi Theologica feliciter præsent, destinantur enim isti imperio Ecclesiastico saltem externo, in quo utuntur curâ tutoriâ & nutriciaâ θ), ob quam etiam Episcopi non in sed extra Ecclesiam dicuntur. Tum demum verò ipsis eruditionem Theologicam imperaret natura, si destinarentur ab ipsa Imperio Ecclesiastico interno, in quo uti deberent curâ doctrinali & administratoriâ. ι)

θ) Quæ consistit in convocando Concilia, erigendo Tempa aliaqve loca sacra, Xenodochia, Oratoria, Asyla, instituendo Presbyteros, dies festos, visitationes &c. suspendendo, removendo, restituendo ministros &c. exemplo Davidis 1. Paral. XIII. 3. 4. XV. 12. seqq. XVI. 2. 3. seqq. Salomonis 1. Reg. II. 27. Asæ, II. Paral. XV. 3. 4. Josaphati filii 1. Paral. XVII. 6. 7. 8. Ezechia & Josia, Capp. XXIX. XXX. XXXI. & XXXIV.



XXXIV. aliorumque, Vid. B. Hülfem. Extens. Breviar. Theol. cap. 19. th. 18. p. m. 624. seqq. adde Medull. Theol. Dn. D. Fridlib. in Loco de Magistr. Polit. Quæst. 11. p. m. 819. Quare autem hodiè in specie nonnullos Principes seculares nuncupemus Archi-Episcopos & Episcopos, explicat B. Joh. Bened. Carpzovius in Isagog. in Libb. Eccles. Luth. Symbol. in specie in August. Confess. ejusque Apolog. Sect. 3. ad p. 2. abus. 7. de Potest. Eccles. m. 2. in not. p. 743.

- 1) Hæc consistit in prædicatione verbi, administratione Sacramentorum, in solvendo & ligando peccantes, in corripiendo scandalosos publicè & privatim, &c. Vid. B. Hülfem. l. c.

§. 17. Porrò Eruditionem Juridicam maribus quoque determinatè imperari à lege naturæ probatur inde, quia natura mares itidem determinatè destinavit imperio seculari, quod sine Jurisprudentia obiri nequit.

§. 18. Instas iterum plures numerari principes, etiam Imperatores, qui licet juridicè imò omni eruditione caruerint, optimè tamen imperium seculare gesserint, exemplo Justiniani & Caroli V. Imp. quorum uterque omni destitutus eruditione insignem Imperii feliciter administrati gloriam consecutus feratur.

§. 19. Respond. quod attinet dictos Imperatores in his & ejusmodi aliquid extraordinarium veneramus, quod interdum cum personis non principibus \*) commune habent, Ordinariè autem aliàs in regnis hæreditariis licitum est Dominium ab administratione sejungere, adeò ut si profundior eruditio juridica Principibus necessariò non imperetur, aliqualis tamen ipsis nunquam non commendetur λ).

- \*) Quales fuerunt Franciscus Gvienciardius & Philippus Cominæus, quorum neuter literis operam dedisse legitur, attamen ille historicus ex Italicis facilè optimus memoratur, hic verò naturali suo judicio & consilio tribus Galliarum Regibus potentissimis adfuit quàm prudentissimè. Unde ipse dicit *magnum DEI esse beneficium Salere sensu communi & judicio naturali.* Uti ex ejus Histor. Lib. 5. annotat Gumpelshaimerus Gymnas. de Exercit. Acad. part. 1. sect. 5. §. 25.

- λ) Svadent Politici, ut vel eam saltem partem Jurisprudentiæ attingat Princeps, quæ ad gubernandum pertinet, *evolvendo scil. leges ac constitutiones sui regni, quas & prudens dictavit ratio & longus usus approbavit, autoritate Regis Angliæ Jacobi I. in Regia Instit. ad Henricum Principem filium suum lib. 2. p. 95.* plura de Eruditione Principum qui desiderat, adeat Max. Rev. atq; Celeberr. Dn. D. FR. RAPPOLTI, Præceptoris nostri colendissimi Dissert. Polit. de Principe docto.



§. 20. Insuper eruditionem philosophicam maribus determinatè à naturâ imperari indè patet, quia neutra neque Theologia neque Jurisprudentia absque Philosophia accuratè comprehendi potest. Vix enim in intimiora Reginarum istarum penetralia intromittitur, nisi qui Principe Philosophiâ comite ducatur.

§. 21. Hæc sufficiant pro probanda thesi priori affirmativâ, deveniamus nunc ad alteram quoque negativam, quæ hæc erat: *Eruditionem feminis lex naturæ non imperat.* Probari autem potest hæc thesis dupliciter (1) in genere, de eruditione quacunque, (2) in specie eundo per assignatas quatuor partes eruditionis.

§. 22. (1) *in genere* probò: quia Natura sexum hunc præparavit, ut sub imperio viri  $\mu$ ) decenti  $\nu$ ) domesticæ administrationis partem sibi debitam excipiat, ut *Jacobus vesperi rure rediens*, uti loquitur Havemannus  $\xi$ ) *luculentum domi focum reperiat, & cœnam cum supellectile mundâ, nitidâ ac bene dispositâ in tabernaculo*, quæ omnia ut & alia officia domestica absque Eruditione obiri posse probant tot Patres familias, qui optimè familiæ præsunt, licet non sint eruditi.

\*) Vir erim est origo & principium, ex quo mulier, & est finis propter quem producta est mulier, consequenter est caput & habet  $\epsilon\xi\omicron\chi\eta\nu$  superioritatem, imperium, dominium supra mulierem, quamvis uterque habeat superioritatem & Dominium supra reliquas creaturas. Genes. I. 26. 27.

\*) Voët in Polit. Ecclesiast. part. 2. lib. 1. tr. 4. cap. 2. quæst. 2. p. 189. 199. disputat, quæle imperium in mulieres viros deceat, an ita ipsis debeant esse subditæ mulieres in statu conjugii tanquam famulæ? & respondet id videri quidem ab Augustino adfirmari, *fæminas*, inquam, *viris suis secundum legem panè famulus subditas*, excusari tamen durum hoc Augustini dictum, ut vocat, à Filesaco lib. 2. select. tit. *Uxor justa* cap. 6. (quo confert locum Augustini, quæst. in Genes. c. 153. hunc: *Est ordo naturalis in hominibus, ut servantur fæmina viris. filii parentibus, quia nulla justitia est, ut major serviet minori.*) Quòd verbum serviendi quo usus est, non juxta usum Jureconsultorum explicandum sit, sed per morem gerere & obsequi. Ipse tamen Voët. l. c. aliter Augustinum excusari posse arbitratur ex collato loco de Genes. ad lit. cap. 39. ubi dicit: *quòd mulier ex suâ culpâ meruerit ex sententia DEI, ut sub viro sit, aliquàlter sub conditione servili.* quia scilicet subiectio illa ad virum & auxilium eidem præstandum sit cum molestia, qualis non fuisset in statu integritatis, siquidem homo in eo perstitisset. Sicuti culturus fuisset terram Genes. II. 15. Sed non cum molestia,



fia, uti post lapsum Genes. III. 17. Confer. Disp. Pr. th. 1. §. 12. lit. 2) it. hujus thes. §. 24. lit. π. Præterea quod non ita subditæ debeant esse viris fœminæ probat Voët. tripliciter, quia contrarietur (1) *juri divino* Genes. I. 28. II. 24. Ephes. V. 28. 29. 30. 31. (2) *juri naturali*, quod velit ut mulieres *συναιβια* concausæ sint in operibus ad rectam familiæ & rei familiaris administrationem pertinentibus, & in procreandis liberis, ubi nec vir sine muliere, nec mulier sine viro. (3) *juri civili* utpote quod distingvat, cujus gratia adducit verba Ulp. de testam. de Injur. l. 1. *in potestate patris est filius familias, in manu uxoris, in mancipio servus*, item *autoritatem*, qua maritus utitur in uxorem apud Cujacium lib. 16. observat. cap. 33. & lib. 5. c. 11. vocari *quasi patriam & tutoriam*.

ξ) Anus. sect. 2. cap. 35. p. 706. adde Virgil. lib. 8. Æneid. ubi officium mulierum ita depingit:

— — — — — ceu fœmina primùm,  
Cui tolerare colo vitam, tenuiqve Minervâ  
Impositum cinerem, & sopitos suscitât ignes,  
Noctem addens operi, famulasqve ad lumina longò  
Exercet pensò, castum ut servare cubile,  
Conjugis, & possit parvos educere natos.

§. 23. Quid si objiciat Tholosanus o) fœminas maribus virtute esse pares, quia subjectum virtutis anima sexu caret, ergò si maribus lex naturæ eruditionem imperat, eandem quoque non poterit non imperare fœminis.

o) Vid. ipsum VII. de Republ. II. n. 25. 64. §. 76. idem sentit Cornel. Agripp. Vid. Disp. Pr. th. 1. §. 26.

§. 24. Respond. id ordinariè falsum esse fœminas maribus virtute esse pares, licet enim animæ non distingvantur sexu, sunt iis tamen si de gradibus virtutum quæras, differentia suæ, de quibus è sexu corporis judicari probabiliter queat π).

π) Inde rectè observat Aristoteles aded non eandem esse viri mulierisqve fortitudinem, ut videri vir timidus possit, si muliebriter sit fortis, dat ergò viro *ἀρχιμήν* fortitudinem, *θηρσημήν* mulieri. I. Polit. 8. & III. 3. p. 56. 166. imò pone protoparentes nostros non peccasse, etiam hic sexus noster potior ut virtute sic imperio fuisset. *Neque enim & ante peccatum aliter factum fuisse deest credere mulierem nisi ut ei vir dominaretur.* August. XI de Genes. ad lit. 37. Et ut fœminæ non partum attulit lapsus, sed dolores pariendi, sic nec subordinationem sub potestate viri, sed ut gravis illa esset ac involuntaria. ceu id supra Disp. Pr. th. 1. §. 12. ex B. Hülsem. annotavimus. Confer. 1. Cor. XI. 9. 1. Tim. II. 14.



§. 25. Quid si verò, cùm scire naturâ omnis homo desideret, ε) fœminis quibusdam natura indiderit ardentissimum literarum desiderium præ certis etiã viris σ), saltem ergo his imperavisse natura eruditionem censebitur?

ε) 1. Metaph. 1. Cic. II. de fin. p. 74. *Natura cupiditatem ingenuis hominibus veri inveniendi.* Idem prolixè argumentum hoc exequitur V. de fin. p. 136. seqq. Plin. V. Epist. 8. *Sunt homines naturâ curiosi, & quod amant libet nudâ rerum cognitione capiuntur, ut quasi sermunculis etiã, fabellisq; ducantur.*

σ) Vid. Disp. Pr. th. 1. §. 20. lit. λ.

§. 26. Respond. ad imperium naturæ nobis non sufficit illa ex peculiari desiderio vocatio ad studia, ut sic loqui liceat, interna, sed accedat oportet externa τ), quâ fœminæ carent, veluti in sequenti thesi id prolixè probatum dabitur.

τ) Quomodo externa vocatio differat ab interna, maximè videtur conspici in statu legali, ubi voluntate parentum filius unus studiis destinatur, alius non destinatur. Qui si adoleverint, fieri quandoque solet, ut alius legitimè vocetur ad aliud studium, quàm cui vel inclinatio naturæ, vel ipsa etiã educatio maximè faverat hætenus. In hoc dissidio præferenda nihilominus hæc externa & finalis, liceat ita distingvere, vocatio internæ & inchoatæ.

§. 27. Deinde distingvimus inter *imperare & svadere*. Naturâ fœminis studiò literarum accensis svadet quidem eruditionem (quod & thesi V. defendetur,) idq; certis conditionibus: sed non imperat: Imperium enim hoc omninò judicandum est ex vocatione externa & legitima: quàm fœminæ juxta leges naturales ac divinas nullam habent ad Imperium Ecclesiasticum vel civile per se administrandum..

§. 28. (2) *In specie* quoad eruditionem Theologicam. Hanc enim fœminis à Naturâ non imperari inde constat, quia Natura easdem non destinavit Imperio Ecclesiastico, ad quod ista requiritur. Indeque Apostolus υ) mulierem in Ecclesia tacere jubet.

υ) 1. Cor. XIV. 34. *Mulieres vestra in Ecclesiis taceant, cui locus parallelus est 1. Tim. II. 12. docere mulieri non permitto.*

§. 29. Inquis: Esto, mulieres non destinari Imperio Ecclesiastico, fecit tamen easdem natura religiosiores viris φ), ut igitur religionem veram intimiùs pernoscere possent, videtur natura ipsis quoque eruditionem Theologicam imperare, secundum commune illud: qui vult finem, vult etiã media.

φ) Quæ-



φ) Quaestionem hanc: *An mulieres sint religiosiores viris?* multis Voetius l. c. cap. 3. quaest. 2. p. 206. 207. pertractat, eandemque affirmari ait à Filefaco lib. 3. select. p. 251. ubi eandem, si distinctè rem proponamus, probat (1) *exemplis* (2) *sacris* Exod. XXXVIII. 8. 1. Sam. II. 21. Luc. II. 22. (3) *profanis* adducendo gentilium quasdam mulierum religiosas ex Polyb. & Mamert. (2) *testimoniis* (a) *Jamblichi* l. de vita Pythag. cap. II. sexum foemineum pietatis maximè studiosum vocantis. (b) *Juliani* in Misopog. dicentis, quod *anus* (Christianæ scil.) *frequentes ad sepulchra martyrum conuenirent*, (3) *Ratione* atque, quia *seguior ille sexus ob inditam sibi à naturâ imbecillitatem pluribus praesidiis atque adminiculis indigeat, idè malis ingruentibus facilius & alacrius ad Deum eundem confugere*. Quibus l. c. subjicit Voetius, se thesi huic probandæ, si ipsi incumberet, advocare velle (1) *perpetuam experientiam*. (2) *dictum Apostoli* 1. Cor. I. 26. seqq. *allegoricè huc applicatum*. (3) *peculiarè illam crucis scholam mulieribus assignatam*, Gen. III. 16. *esse ipsi scholam lucis, h. e. unâ cum tot DEI liberationibus ex tot tantisque mortibus (gestationibus scil. & partibus) esse occasionem ipsi deſotarum precum, celebrationum, promissionum & ad mortem preparationum*. Plura ibidem, ex antiquitate eruditè loco citato cumulat Voetius, qui omninò videri meretur. Quibus adſtipulari videtur Casp. Barlaeus Epist. 311. ad Adrian. vander Myle, in quo ipsi gratulatur ob recens natam filiolum, atque hac occasione lusus gratiâ rationibus aliquot evincere conatur filiam filio, foeminas maribus digniores esse, quod in cæteris etiam à religione earum probat. *Non obliſcar, inquit, de religione dicere. Hic laudem viris præcipit muliebris ardor & zelus. Tempora vide, plus illic togarum, quàm palliorum, plus vittarum quàm braccarum, plus peplorum, quàm pileorum. Qui primi sacrum Tumulum adire? Virine an foemina? Maria erant, Magdalena erant, tardius Andrea, tardi venere Simones. Qui sagantes Apostolos hospitio excepere? Lydia fuit, Timothei mater fuit. Ubi viros salutat Paulus, etiam meminit Tryphina, Triphosa, Olympia, Perſida, Julia foeminarum virginumque. Si objicias, Apostolos viros scripsisse, dicam ego, Johannem Apostolum secundam Epistolam inscripsisse Electa Domina. Si regeas, DEUM sub typo Jacobi & Esaii arduas res adumbrasse, respondebo etiam Saram & Agaram typos fuisse caelestium rerum &c.*

§. 30. Respond. Quamvis plura contra de foeminarum & superstitione χ) & pronitate in hæreses ψ) urgeri possint, ponamus tamen interim religiosiores esse foeminas viris à naturâ, at inde nondum sequitur, id propter easdem à naturâ imperari ejusmodi eruditionem Theologicam, quam definimus, cum non destinatae sint à natu-



natura ad imperium Ecclesiasticum, extra quod ipsis ad excolendam religionem suam sufficere potest Theologia Etymologicè sic dicta.

2) Strabo vocat eas *Ἰησ δεισιδαιμονίας ἀρχαῖς* *superstitionis doctri-*  
*ces*, lib. 7. unde phrasid adagialis, *anilis superstitio*, quo epitheto  
Gentiles Christianam religionem describebant apud Minutium in  
Octavio: apud Lactantium lib. 5. cap. 1. *aniles fabulas* indignant,  
apud Prudentium *anile dogma*, quid? quod Apostolus devitare  
doceat *aniles fabulas*. 1. Tim. 4. 7. Vid. Voët, l. c. quæst. 3. p. 207.  
208. Confer imprimis disquisit. Theolog. Archi-Theologi Dn. D.  
Mart. GEIERI, de *Superstitione* cap. 1. *quia veteras*, inquit, *pra-*  
*religiosis ad superstitionem videmus proclives*, inde etiam est *supersti-*  
*tio anilis*, v. g. apud Cic. de divinatio. *Omnis superstitio est imbecilli-*  
*animi atque anilis*. item de invent. *ea superstitiones sunt penè a-*  
*niles &c.* ita August. l. 4. de C. D. c. 30. *quæ res genuit falsas opi-*  
*niones, erroresque turbulentos & superstitiones penè aniles.*

3) Plerasque hæreses promotrices antiquas designat Hieronymus ad  
Ctesiphontem. Tom. III. f. 115. edit. Erasmi. Basl. apud Froben,  
cujus hæc sunt verba: *Simon Magus hæresin condidit Helena metri-*  
*cus adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immundicia-*  
*rum repertor, choros duxit femineos. Marcion Romam promisit*  
*mulierem, quæa decipiendos sibi animos prepararet. Apelles Phila-*  
*menea suarum comitem habuit doctrinarum, Montanus immundi*  
*spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam,*  
*nobiles & opulentas feminas, primum auro corruptis, deinde*  
*hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam:*  
*Arius, ut orbem deciperet, sororem principis ante decipit. Donatus*  
*per Africam ut infelices quosque parentibus polliceret a quo Lucilla*  
*opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæ-*  
*cum caeca duxit in foecam, successoremque sui Priscillianum habuit*  
*Zoroastris magi studiosissimum, & ex mago Episcopum, cui junctæ*  
*Galla non gentis, sed nomine, germanum huc illucque currentem, al-*  
*terius & vicina hæreses reliquit heredem. Nunc quoque minist-*  
*rium iniquitatis operatur, &c. Vide plura apud Voët. l. c. quæst.*  
*4. an mulieres sint propensores in hæreses? p. 208. seq. ubi cum*  
*jam nominatis hæreticorum mulierculis adjutricibus comparat hodi-*  
*ernas illas in Belgio circumeuntes garrulas contra 1. Tim. 12. dictas*  
*Cloppen/ Paters-Cloppen/ Queselen/tem Jesuitas, quæ non exi-*  
*guam cura & pragmatia rerum Ecclesiasticarum partem in se suscipi-*  
*ant, catechizando rudiores, canendo voce & instrumentis in officio*  
*divino, hæreticos convertendo, pauperes, agrotos & afflictos visita-*  
*ndo, novæ qualibet curatis & sacerdotibus nunciando, missiones &*  
*negotiationes Romano-Ecclesiasticas, imprimis in gratiam Jesuita-*  
*rum & aliorum regularium pro nosse & posse conciliando, promo-*  
*scendo,*



Vendo, &c. Vid. Voet. part. 1. lib. 1. c. 2. Confect. 4. p. 34. 35.  
p. 34. 35. part. 2. lib. 1. tr. 4. cap. 3. quæst. 4. p. 208. it. ex professo  
Lib. 4. tr. 4. sect. 2. cap. 9. p. 1012, seq.

§. 31. Nec Juridica Eruditio tæminis à naturâ imperatur, quia  
Natura easdem non destinavit Imperio Seculari. Imperio enim  
summo pollere si fœminam contingat, quam formam regiminis Γυ-  
βαινοκρατίας appellant, secundum statum non naturalem sed lega-  
tem id fieri constat. ω)

ω) Legalis enim status hic etiam fœminis facit locum, ut extinctis masculis  
ad imperium mittantur, sed non nisi in hæreditariis imperiis, nec iis ta-  
men omnibus, sed solis iis ubi Gynæocratian fert lex aut consuetudo  
gentis. Vid. omninò Disp. Polit. laudati Præceptoris nostri Dn. THO-  
MASII, de Gynæocrat. subsidiaria, it. Voet. l. c. cap. 2. quæst. 5. an  
mulieres imperio & regimini publico admodum sint? p. 201, 202.

§. 32. Quod si maximè vocatur Fœmina ad imperium in statu  
legali, tamen ne sic quidem imperatur illi eruditio à jure naturæ.  
Jus enim naturæ permittit hîc potiùs id fieri, quod in statu Legalis  
etiam probatur, ut dominium ab administratione, uti in viris suc-  
cessione vocatis, sic & in fœminis sejungatur.

§. 33. Si tamen inventæ fuerint Reginæ, quibus juxta cum Do-  
minio Regni etiam administratio, (de suprema inter homines lo-  
quor) feliciter hæserit, majori id propter laudem maudandæ erunt. α)

α) Memorabile hujusmodi Reginæ exemplum habemus in Regina Angliæ  
Elisabetha, cujus administrationem per annos 45. laudari audias non  
modò à suis scriptoribus, sed exteris quoque, iisque non tantum qui  
religionem ipsius Calvinianam probant, ut Danæus VI. Polit. Christ.  
3. p. 398. & IV. de hom. 33. p. 202. sed etiam qui improbant, ut Be-  
foldus p. 89. & Bernegg.

§. 34. Nec patiemur hic nobis objici idealem rempublicam  
Platonis β), in qua cum viris divisum Imperium haberent fœminæ,  
adeò ut vel in hac fœminis quoque imperetur eruditio. Hic enim  
cum marium fœminarumque officia non discrevisset, existimavit, ut  
Lactantius loquitur γ), oportere etiam mulieres militare δ) & consi-  
liis publicis interesse, & magistratus gerere & imperia suscipere; Enim-  
verò rectissimè hac in parte Plato vapulat ab Aristotele ε).

ε) qui multus in hanc sententiam V. de Rep. & VII. de legibus. in primis  
eandem legi censet laudatus THOMASII, nunquam absque nominis  
Προμηθεΐα citandus, (Disput. de Gynæocrat. §. 17.) fol. ipsi 655.  
F. (quem textum ipsius judicio malè interpretatur Joachim. Stephani,  
cap. 7. Polit. dem. n. 22. p. 113.) 654. B. D. 890. D. 896. E.

γ) Lib.



2) Lib. III. c. 22. sub fin.

3) Ex professo quoque hanc tractat quaestionem Voet. *an à mulieribus arma & bella gerenda?* quem vide sis l. c. cap. 2. quaest. 6. p. 202. 203. ubi eandem quoque Platonis sententiam refutatam leges.

4) I. Pol. 3. & 4. p. 89. 92. Frustra est Piccol. cum Grad. X. Phil. Mor. c. 32. Platonem excusare nititur.

§. 35. Superest Eruditio Philosophica, quam itidem foeminis natura non imperat, cum iisdem denegat & superiorum facultatum habitus, quorum haec instrumentum esse solet, & illa officia, quibus Philosophi in scholis & Academiis defunguntur, quò de fusc inferius.

§. 36. Sed quid de Medica eruditione dicamus, quam haecenus *ἀνήν* quasi praeterivimus? argumenta enim omnia jam tum à nobis prolata, tantum ad Eruditionem Theologicam, Juridicam atque Philosophicam, non item ad Medicam concludunt, ergone Medica saltem Eruditio aequaliter utriusque sexui imperatur?

§. 37. R. Medicam eruditionem aut liberam permittit Natura utriusque sexui aut non permittit.

§. 38. Si non permittit liberam, sed exercendae arti medicae unum tantum sexum determinat, ratio magis militabit pro viris quam pro foeminis. In facienda enim Medicina inspicienda nonnunquam sunt aegrotorum corpora nuda: Hoc foeminis pudor earum, cui omnino consultum cupit natura, minus permittit.

§. 39. Regeres id videri postulare naturam ut viri viros, foeminas foeminae curent.

§. 40. Obstat nihilominus alia adhuc ratio pro viris, tum quia ad Medicinam opus est ingenio subtili ac sublimi, quod arcana naturae rimari accuratius queat: tum labore corporis in habendis naturalium rerum experimentis, quae interdum & peregrinationes postulant, si non ut necessarias, saltem ut utiles. Haec omnia viri commodiùs ordinariè quidem certè obibunt.

§. 41. Quod si quis cum Platone (?) liberam medicinam utriusque sexui permitti à natura dicat, sequeretur id tantum, quod eam utriusque sexui Natura imperet indeterminatè, at nos de determinatà tantum iussione loquebamur.

2) Lib. 7. de Republ. tradit mulieres sicuti & viros ad Medicinae artem aptas esse. Vid. Tiraquell. de Nobilit. Cap. 31. f. m. 218. ubi simul integrum Catalogum foeminarum Medicarum exhibet.

§. 42. Por-



§. 42. Porrò quando leges ac mores gentium rem à natura non determinatam determinaverūt, censetur id approbavisse suò calculò natura, quòd ita visum est legi positivæ, quis enim nescit jam ubivis locorum artem medicam exerceri à viris potiùs quàm fœminis?

§. 43. Imò verò à fœminis etiam inqvies, saltem circa infantes, & puerperas ob verecundiam masculi obtutum non ferentes.


§. 44. Respond Nihilominus puerperis ac infantibus etiam periti adhibentur medici à cautiorebus, quid? quòd quicquid hic obstetrices fœminæ & similes præstant consilii empirica ferè nitatur medicina. Empirici verò nudi literatis accenseri non solent magis, quàm periti in arte sua opifices.

#### THESIS IV.

Eruditionem maribus non fœminis ordinariè imperant consuetudines ac statuta gentium.

Ἐκθεσις,

§. I.

 Vanvis thesis hæc præcedenti similis sit & duas quoque in se contineat theses, ut ad eò quælibet seorsim probanda veniat, studiò tamen brevitate eas conjunctim unâ alterave ratione probabimus unâ sic quasi fideliâ duos dealbaturi parietes.

§. 2. Et primò quidem probatur, quia passim terrarum Academia, Scholæ & Gymnasia publica instituta sunt pro formandâ juventute masculâ non fœminêâ.

§. 3. Loquor autem de formatione ad justam & veri nominis eruditionem, quæ de nobis in præsentem sermo, non de formatione vel morum ad probitatem: vel ingenii ad veram religionem, quæ à plebeis etiam animabus postulatur, quæ ratione & olim <sup>η</sup>) puellæ in scholis & hodiernum informantur.

<sup>η</sup>) Vid. Alex. ab Alex. Genial. Dier. Lib. 2. cap. 25. Kornmann. in tract. de statu & jure Virginum p. 96. Lælius Bisciol. Tom. 1. Lib. 13. cap. 22. f. 1012. ubi ex Livio Lib. 3. de Virginia. Plin. Lib. 1. Epist. 17. Athen. Lib. 13. Lucian. *ἄλλοι δὲ τῶν δὴν μίθῳ συνόντων* probat solitos fuisse præscos mortalium filias erudire literarum studiis, atque Galeni Imperat. tempore puellas & viduas Plotini Philosophi scholam disciplinæ causa frequentasse, cujus instituti meminerit quoque Julian. Lib. 4. ubi pupil. educ. Gordian. Lib. 15. §. patero c. de neg. gest.

C 2

§. 4. See



§. 4. *Secundò* quia exercitium Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ atque Philofophiæ passim demandatur adultis masculis non fœminis.

§. 5. Objicis (1) *pro Theologia*, in sacris mentionem fieri Prophetissarum §) & Diaconissarum e), quæ nomina prodant fœminas sacra administrasse, ipsisque concessum fuisse Theologiæ exercitium.

§) per Prophetissas non intelligo cantatrices illas, quæ juxta cum Leviticis Cantoribus publicè canebant in Ecclesia, quas ex I. Cor. II. 4. §. Prophetissas vocare licet, quales ex captivitate dicuntur rediisse, Est. II. 65. ducentæ, distinctæ à ducentis cantoribus, quarum operâ ideo utebantur, quia fœminarum voces constantes aliter ac virorum, quæ ordinariè in pubescentibus mutantur, acutæ & svaves, ad superioris cantum in harmonia præstandum, quàm maximè sunt idoneæ, quales mulieres cantatrices comprehendi poterunt sub genere mulierum, quæ I. Sam. II. 22. gregatim conveniebant ad ostium tabernaculi, pro ut arbitratur Voet. l. c. Lib. II. tr. 2. c. 1. quæst. 2. p. 350. 351. Sed per Prophetissas intelligo illas quales fuerunt sub V. T. Mirjam Exod. XV. 20. Debora, Jud. IV. 4. Hulda II. Reg. XXII. 14. cum II. Paralip. XXXII. 22. uxor Jesaiæ. Jes. VIII. 3. sub N. T. quatuor filia Philippi Act. XXI. 8. in statu inter V. & N. T. intermedio Anna Phanuellis. Luc. II. 36. quibus opponuntur Pseudo-Prophetissæ, quales Noadiah Nehem. VI. 14. & Ezech. XIII. & Jesabel Apoc. II. 1. Reg. XVI. 31. huc refer Pythonicissam I. Sam. XXVIII. 7. & Puellam Pythonicam, Act. XVI. 16. de Helena, Philumena, aliisque Pseudo-prophetissis in Ecclesiis post Apostolorum tempora, præsertim revelationes jactantibus, quales Mechtildis, Brigitta, Catharina Senensis &c. vide apud Voet. part. 2. Dissp. Select. tit. de Prophetia &c. & Polit. Eccles. Lib. 1. tr. 3. cap. 23. Confer. thes. III. præced. §. 30. lit. ψ.

e) De Diaconissis, uti Origenes eas appellat. Vid. Rom. XVI. 1. ad quem locum Origenes ita: *Hic locus Apostolicæ autoritate docet etiam fœminas in ministerio Ecclesia constitui, & paulò post: Immo locus hic duo pariter docet, & haberi, uti diximus fœminas ministras in Ecclesia, & tales debere assumi in ministerium, quæ assisterint multis, & per bona officia usque ad Apostolicam laudem meruerint pergenire.* Confer. I. Tim. V. 9. 10. & Polit. Eccles. Voet. part. 1. lib. 1. cap. 2. p. 32. part. 2. lib. 2. tr. 4. c. 1. de Diaconissis p. 509.

§. 6. Quod attinet Prophetissas respondeo non constare ex sacris, eas, utut prophetissæ audiant, publico vel docendi vel aliò munere in Ecclesia defunctas esse, fuit enim hoc ipsorum Theologiæ exer-



exercitium privatum potius. Quòd si tamen quis urgeat Mirjam Sororem Mosis  $\kappa$ ) & Deboraham  $\lambda$ ) publicè in Ecclesia aliquando docuisse referamus id cum Voetio  $\mu$ ) ad illud, quod extra ordinem factum est, quodque regulam & ordinem non facit, nec cuius imitandum censetur.

- $\kappa$ ) Vid. Exod. XV. 20. 21. Confer. Num. XII. 2. it. Malach. VI. 4.
- $\lambda$ ) Vid. Judic. V. 1. 2. & v. 7. ubi Debora se matrem in Israel vocat.
- $\mu$ ) l. c. part. 2. lib. 1. tr. 4. c. 3. quest. 5. p. 209.

§. 7. Ad do insuper confundi in objectione eruditionem infusam cum acquisitâ vel acquirendâ. Nam Prophetissis ejusmodi simul infudit DEUS justum Theologiæ convenientis habitum, (perinde ut Apostolis, quibus simul donum quoque linguarum fuit infusum) ubi profecto non fuit opus eruditione per studium doctrinæ acquirendâ. Nostra verò thesis loquitur de eruditione acquisita.

§. 8. Neque Diaconissarum officium in primitiva Ecclesia ad publicum Theogæ exercitium referri potest, imò nec exercitium Theologiæ vocandum, utpote quod tale fuit, quale non tam commodè aut tam decorè à viris præstari potuit, scilicet in ministrando pauperibus, peregrinis, captivis & imprimis mulieribus ægrotantibus, puerperis, uti colligere licet ex 1. Tim. V. 10. v)

- v) Vid. ad loc. hunc Danaus p. 269 edit in 820. Hugo Grotius in 'notis ad Rom. XVI. 1. ubi inquit. In Judæa Diaconi viri etiam mulieribus ministrare poterant, erat ibi liberior ad fœminas aditus, quàm in Græcia ubi viris clausa *γυναικωνίτις*, idè duplici in Græcia fœminarum auxilio opus habuere. alteræ erant *πρεβυτέρες* sive *παιρηναίημοι*, quæ fœminarum mores formabant &c. aliæ erant *διάκονοι*, latinè etiam Diaconissæ, quod Plinius in Epist. ad Traj. vertit ministras, quæ fœminas puerperas aut ægrotas pecuniâ atque operâ sublevabant.

§. 8. Præterea non attendimus jam legendas Papistarum de B. Maria Virgine, quam fingunt fuisse matrem familias, doctricem & consolatricem omnium Ecclesiarum, etiam Apostolorum  $\xi$ ) & de Maria Magdalena, cujus Apostolatûs meminit Cornelius à Lapide  $\theta$ ), quòd prædicaverit Massiliensibus.

- $\xi$ ) Svarez ad 3. p. 97. 37. Disp. 20.
- $\theta$ ) Comment. in Act. 1. 14. II. 4.

§. 9. Obicis (2) pro Jurisprudencia, plures fœminas principes in rebus arduis fuisse consiliarias maritorum, veluti pluribus id pro-

26

29

28





probari posset exemplo Liviae, Cambriae, Cothildis, Brunichildis Zenobiae, Amalafuinthae, Theodolindae, Irenes, Zoae, Agnetes, Faustinae, Mammeae, Placidiae, Eudoxiae. &c. π)

π) Vid. Goldast. praef. Imper. Const. ad Imperatr. Rom.

§. 10. Respond. nec hoc Jurisprudentiae exercitium, si quod fuit, fuisse publicum, sed potius privatum, imò etsi legatur foeminas imperio summo non pollentes publicas fuisse Consiliarias, quales Heliogabalus effecit, dum eas in Prytaneum suum admisit, illud tamen ut insolens ac monstruosum exemplum rejicitur; praesertim cum Scto cautum fuerit, ne ulla posthac mulier curiam ingrediatur. ρ)

ρ) Vid. Lamprid. in vit. Heliogab. & Dn. Hahn. Jctus Helmstad. in Disput. de jure sexus foemini singulari, thes. 5. adde quae Tacit. Lib. 3. annal. habet. *Prudentissimè; inqviens, Severus Caccina tempore Tiberii in Senatu censuit, ne quem Magistratum, cui pro-sincia obvenisset, sua uxor comitaretur; sexus quoque ille ut vel constantissimi Calorem excutiat, amoroso imperio regnat, effectibus rationem obnubilat & persuasionum fucus maritos aliquando ad in-accessa perducere solet; Hinc tum fiebat, ut quoties repetundarum aliquis argueretur, plurima uxoribus objectarentur, quibus deterrimi quoque adhaerebant, earumque auspicis negotia sua suscipere & transigere solebant.*

§. 11. Objicis (3) pro Medicina, ex Martiali σ) qui Medicarum facit mentionem, posse colligi olim exercitium Medicinae licitum fuisse & maribus & foeminis indifferenter, ergo ut haec ipsa Medicam artem exercent, non adversari consuetudini ac statutis gentium.

σ) ita enim Lib. XL. Epigr. 72. Protinus accedant Medici Medicaque.

§. 12. Respond. distingvendo inter Medicinam empiricam & dogmaticam, non hujus sed illius ratione foeminae Martiali audiunt Medicam, quòd si maxime & hujus ratione Medicam dicantur foeminae, aliud exinde non sequetur quam hoc, foeminarum naturam artem medicam non repugnare propter copiam exemplorum. Confer quae supra disputavimus.

§. 13. Objicis denique (4) pro Philosophia, fuisse Philosophos, qui statuerent foeminis aequè ac viris philosophandum esse. τ)

τ) Vid. thes. praeced. 3. §. & Lactant. Lib. 3. divin. Instit. qui est de falsa sapientia, cap. 25. ubi Stoicos vult refellere, qui & servis & mulieribus philosophandum esse dicebant, ex eo quoque, quòd nullas unquam mulieres philosophari docuerint praeter unam ex omni memo-

ria



ria Themistem, neque sercos, prater unum Phadonem, quem male  
seruientem redemisse ac docuisse Cebetem tradant. Enimverò La-  
lius Bisciola Tom. I. Lib. 13. cap. 23. f. 1012. luculenter ostendit  
huic Lactantii sententiæ reclamare historias, quæ prater Themis-  
stem & Phadonem plures fœminas & seruos philosophiâ claros  
commemorent.

§. 14. Respond. aliud esse si quid sectæ alicui philosophicæ,  
aliud si ipsi Reipublicæ videatur. Opiniones illæ sectarum priva-  
tæ sunt, nos de publico loq̄ebamur iudicio.

§. 15. Fac etiam publicam auctoritatem accessisse, aliud est per-  
mittere, aliud, quo de thesis nostra loq̄vitur imperare, ut omittamus  
huic sectæ alias contradixisse.

§. 16. Instas Hypatiæ, Læliæ Sabinæ, Aretæ, Cornelix Gra-  
chum matri aliisque publicum docendi munus olim permillum  
fuisse.

§. 17. Respond. permillum non imperatum, repete modò di-  
cta & adde aliam fuisse quondam rationem Scholarum, aliam nunc  
esse, olim enim illæ privatæ potiùs erant quàm publicæ, nullo vide-  
licet docentibus constituto salario publicè v).

v) Vid. Conring. in Acad. p. 7. seqq.

§. 18. Nec est quod ulterius urgeas Elisabethæ Johannæ West-  
honix laurum poeticam à Paulo Melisso missam φ), eoq̄e ipsi po-  
testatem docendi concessam fuisse: fuit enim uti ferè alias inter Po-  
etas Laureatos titulus sine re, imò exemplum sine exemplo, rarita-  
ti potiùs, quàm juri datum.

φ) Vid. supra Disp. Pr. th. 1. §. 50. lit. v.

#### THESIS V. & ultima.

Fœminis opulentis, quibusq̄e adeò fortuna feri-  
as justas à negotiis domesticis, vel si quas alias habere  
poterant occupationes, fecit, ratio svadet, ut otium su-  
um in literis potiùs, quàm aliis rebus consumant: præ-  
sertim si peculiaris ad studia inclinatio accedat,

Επιθεσις.

§. I.



T autem eò clarior appareat nostra probatio, prævidua-  
mus genus vivendi in literatum, & illitteratum, istud iterum  
sub-



subdividamus in practicum seu negotiosum & theoreticum seu otiosum χ). Prius ordinarium & eorum est, qui literas sectantur, ob usum in munere publico regendi, docendi &c. posterius extraordinarium & eorum est, qui id sectantur tantum ob jucunditatem, proque libitu se literis date solent.

κ) Capio hic pro Synonymis ab una quidem parte vitam practicam & negotiosam, ab altera theoreticam & otiosam. Sed interest tamen nihilominus aliquid inter theoreticam vitam & otiosam. Otiosam latius puto patere vi vocabuli quidem certe, quam theoreticam, degunt enim in otio vel otium quaerunt, sequē negotiis ac curis tum domesticis tum civilibus eximunt etiam οἱ ἀπολαυστικοί. Igitur otiosa vita alia laudabilis scil. τὸν θεωρητικῶν, alia vituperabilis, scil. τὸν ἀπολαυστικῶν. Quod ad practicam verò seu negotiosam attinet vitam, minus inter hæc duo interesse dicam, nihil omnino utramque vocem & latè capi posse & strictè. Latè ut τὸ χρηματικὸν includat, strictè ut excludat, capiaturque pro genere vitæ tantum, ut vocat Arist. l. Ethic. V. πολιτικῶν, quo capite tandem quatuor in universum vivendi enumerat genera. πολιτικὸν, ἀπολαυστικὸν, θεωρητικὸν, χρηματικὸν, quæ secundum hætenus dicta sic fortè quis dividat ut dicat vitæ genus aliud esse negotiosum laudabile, πολιτικὸν, & illaudabile, χρηματικὸν. Aliud esse otiosum laudabile θεωρητικὸν, & illaudabile ἀπολαυστικὸν. Πολιτικὸν idè ex negotiosis laudabile, quia curat bonum etiam publicum, χρηματικὸν idè illaudabile, quia solum privatum. Similiter ex otiosis laudabile θεωρητικὸν, quia voluptatem animi, ἀπολαυστικὸν idè illaudabile, quia voluptatem corporis sectatur.

§. 2. Datur quidem præter duo ista vitæ genera practicum & theoreticum tertium etiam ex utroque mixtum, imò ipse laudabilis vivendi usus, vix aliud præter mixtum admittit, quod tamen ratione prædominii à simplicibus illis denominationem accipit.

§. 3. Utroque autem nomine genus illud tantum vitæ hîc attendimus, quod laudabile est aut certè reprehensionem effugit, quale ex negotiosis est πολιτικὸν, ex otiosis θεωρητικὸν.

§. 4. Cæterum utriusque vitæ capax est uterque sexus: possunt inquam & viri & fœminæ tractare negotia cum laude; possunt & viri & fœminæ si usus ferat & ratio jubeat, otium sectari, quod reprehensione vacat.

§. 5. Id



§. 5. Id interest, quod feminis, ubi negotia tractare voluerint, sola privata patent, nam à publicis eas negotiis arcent superius dicta, nisi ubi ad aliquod fortè per imperii legem hæreditarium pervenerint imperium.

§. 6. Quod ad theoreticam verò & otiosam attinet vitam, ea in tenuioris fortunæ hominibus vix laudabilis erit, utpotè quibus negotium ipsa necessitas imponit. Illud enim in monasterijs otiosè vivendi genus, quæ quidem sub Papatu hodiè est, quia DEO placere nequit, ut illaudabile planè hic non curo, tùm demum igitur laudabilis erit theoretica ista vita, quando tantum homini facultatum suppetit, unde alere otium honestum absque negotio potest.

§. 7. Si igitur ejusmodi scemina opulentæ sint, illis ratio svaedet ut in literis potiùs quàm aliis in rebus otium consumant, quia nullum otium honestius, suavius, innocentius, homine dignius, quàm literarium, de cætero enim otio valet illud Basilii *ἀργία κἀνεργίας ἀρχή*, & illud Nazianzeni *μεγίστη πρᾶξις ἢ ἀπρᾶξία* & nota sunt *πολυθρόνοι* ista: Otia dant vitia, item: homines nihil agendo malè agere discunt.

§. 8. De iis autem loquor literis, quarum studium est innocens nec mores corrumpit. Quæ verò sint ejusmodi literæ, optimè intelligetur ex iis, quæ de confixione librorum prudenter moneri solent ab eruditis.

§. 9. Loquor itidem de tali educatione in literis, quæ formationem ad probos mores non negligit, sed simul probè observat.

§. 10. Quæ ratione facilè licebit respondere objectioni, quæ criminatur sceminas doctas ferè salaces & impudicas esse (ψ). Non enim literarum hoc vitium est (ω), sed prævæ tùm naturæ tùm educationis, aut si literarum hic aliqua culpa, non earum est, quales volumus, sed quales vetuimus.

ψ) Talia legas apud Juvenalem:

Non habeat matrona tibi quæ juncta recumbit,  
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato  
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes,  
Sed quædam ex libris, & non intelligat, odi  
Hanc ego, quæ repetit versatque Palæmonis artem  
Servata semper lege & ratione loquendi,

¶

Igno-



Ignotosque mihi tenet antiquaria versûs. &c.  
Et apud Euripid. ubi Hippolyt. ita loquitur.

Σοφὴν ἢ μισῶ. μὴ γὰρ ἐν γ' ἐμοῖς δόμοις  
Εἴη Φεργᾶσι πλείον, ἢ γυναῖκα χεῖν.  
Τὸ γὰρ πανῆργον μάλλον ἐνλίκεται Κύπρις  
Ἐν ταῖς σιφασίν.

Quæ duo Poëtarum testimonia adducit M. Antonius Muretus Lib. 8. Variar. lect. cap. 21. eisque assentitur statuens *mulières eruditas plerumque esse libidinosas, vel unâ Sappho teste, neque mirum hoc esse, quia multas legunt historias peccare, ut Flaccus ait, docentes. refut. hanc Mureti sententiam Bisciola l. c. f. 1012. ex eò, quod pessimè accidisset maritis, quibus mos fuit collocare in matrimonio filias literis optimè institutas, ut princeps eruditioni locus in earum doctæ atque ornamentis tribueretur. Quod vero Bisciola ulterius pro tuendâ fœminarum doctarum pudicitia ipsi Mureto opponit Mineram bonarum artium inventricem, sapientiæ præsidem & simul virginem creditam, item novem Musas, itidem virgines creditas, vix aliquid obtinebit, cum sint exangues virgines & rationis entia, quæ uti & σῖτον ἔδρασι, καὶ ἔπινεσι αἶθοπα οἶνον, ita nec pudicitiam norunt. Adducit tamen Bisciola l. c. præter fictitias has eruditas fœminas alias quoque, quibus contra Muretum pugnat, quæ apud ipsum videri poterunt. Nos addimus illis aciem istam doctarum fœminarum quas pudicitia commendat apud Ludov. Viv. Lib. 1. de Christ. fœm. cap. 4.*

\*) Audiamus hac de re Ludovic. Viv. Lib. de offic. Marit. cap. 4. de discipl. formin. p. 87. seqq. *Quæ dementi est, inquit, existimare ignorantia bonorum quæquam meliorem fieri? Ceu verò in humanis animis non ex se magna ac densissima sint ad bonum contuendum tenebra, mala ultrò se ingerunt, quibus nihil sit doctore opus, nec utquam in ullo sistunt, quæmadmodum erant ingressæ: gliscunt sensim, & foras se effundunt, ut cujusque vitium etiam alios ladat. & paulò post: Quod si non expedit bona legere, nec videre, neque enim sunt ipsæ literarum formula, de quibus est controversia: sed ea sensa, quæ literis conclusa & consignata. Ergò uxor aut filia tua dissecet quæmadmodum se comet & peccet & fucabit, & insolabit capillos & subsumigabit chirothecas & acu supparos fingat, & quæ pompa incedet, & quibus verbis erit vel ad lasciviam, vel ad superbiam instructa non audiet, quomodo hac nugamenta contemnet, quomodo ornabit mentem? Tandem ita concludit: Usu venire & comperi, malas omnes rudes ac ignavas prorsum esse literarum: doctas verò probas & laudis & decoris amantissimas nec ullam memini vidiisse me impudicam doctam. Annon quidvis facilius hebeti ac imperita calidana*



*calidus & callidus amator persuadebit, quàm ingenio atq; eruditione septa ac munita?*

§. 11. Quod si maximè legantur quædam alia sive à priscis sive à recentioribus in scæminas eruditas vibrata convitia, tum sciendum est, illa convitia non fuisse publica sed privata, neque exonerata in scæminas vitio eruditionis sed scæminarum, quâ abusa fuerint.

§. 12. Negandum enim non est eruditionem balsamî instar esse, quæ si in vas fœtidum incidat, ipsa quoque malecolens fiat. Quam quidem fortunam scæminæ cum viris communem habent. Quò verò mediò inconveniens hoc caveri possit, ex antea dictis quoadantenus liquet.

§. 13. Aliàs tantum abest, ut eruditio pia ac pietas erudita scæminis vituperio apud eam gentem in qua floruerint, cesserit, ut potius laudem & famam inde gens ea sibi quæriverit.

§. 14. Objicis nihilominus porrò quorsum scæminis eruditio, si nullam muneris publici partem ipsis attingere licet?

§. 15. Tenendum hîc eruditionem appeti posse aliàs ut utilem, & sic viris ea relinquatur; aliàs ut jucundam, & sic in consortium secum patientur venire scæminas viri, quòd & ipsis fortuna otium ac theoreticam concesserit vitam.

§. 6. Neque omnis planè usus abest. Nam ne in theoretico quidem vivendi genere abest ab eruditione utilitas illa, quâ se quisque magis ita & in pietate & probitate perficit, omniaque tandem ad DEI dirigit gloriam.

§. 17. Licebit & absentibus ac posteris inservire scribendis libris, in quo simul utilitas quædam publica, simul ex gloria voluptas quædam privata. Abesse tamen hîc debet omnis captatio inanis gloriæ, quâ laborare aliàs plerique scribaces solent.

§. 18. Aberit autem, si quis sibi philantiâ pravâ interdicit, quæ aliàs uti parentibus liberos deformes, sic scriptoribus libros nauci suos commendare solet.

§. 19. Atque hîc demum pedem figere animus quidem ab initio erat. Verùm cum interea temporis, ex quo prior diatribe prodit, plura præter superius adducta scæminarum eruditarum exempla, eaque magnam partem recentia atq; rariora nobis innotuerint, quæq; in hac posteriori diatribe reticere non debebant, proinde co-



ronidis loco catalogum eorundem ordine alphabetico servato texemus, atque postmodum totam hanc nostram de faminarum Eruditione tractationem finiemus. Sit igitur

CATALOGUS  
FOEMINARUM ERUDITARUM  
superius non memoratarum.

§. I. Adelica, α) Angela Curionia, β) Anna Askeve, γ) Anna Comnena, δ) Anna Leia, ε) Anna Rœmeria, ζ) Apolonia, η) Arignete, θ) Atofia, ι) Bathusia Meckinsia, κ) Baptista, λ) Bertrada, seu Berta, μ) Cassandra Jovia, ν)

α) Petrus Blesensis Epist. 54. vocat hanc plurimam literatam.

β) Ejus Epitaphium legitur Basileæ, uti annotavit id Nath. Chytræus in varior. in Europ. itin. deliciis p. 441. h. m. *Angela Curionia, nobili & generosa puella, cujus divino ingenio atque industria nihil difficile unquam est visum, quod ingenuam pudicamque puellam deceret: quæ Italicè, Germanicè, Gallicè & Venustè loquebatur: Latine non ignara: omnis elegantia decorisque studiosa: candore animi, Virginali Serecundia, religione in Deum, pietate erga parentes, caritate in fratres sororesque, comitate in omnes insigni fuit: Cælius Secundus Curio pater, & Margarita Isacia mater, Itali, in beata reparationis spem filia dulciss. ac prestantissima. P. P.*

γ) Superiori seculo vitam non modo seria & sedula Sacrarum literarum tractationi impendit; sed eandem etiam constantissimo martyrio generosè consummavit, six atatis annum 25. consecuta. vid. Hotting. Histor. Eccles. N. T. secul. XVI. f. part. V. in]dedicat. ad Sere-niss. Principem Palatinam Elisabeth(a) 3.

δ) vid. Petr. Lambec. App. 4. Prior. cap. lib. 2. prodr. Hist. literar. Scia-graph. cap. 28. f. 268.

ε) Conradi filia docta quam mors immatura praripuit Musis. Posth. part. 2. Poëm. p. 101.

ζ) Casp. Barlaeus in Epist. 440. ad Eryc. Putean. pag. 866. seq. *Matronam ingenii & Poëseos famam apud Batavos celebrem, Tibi commendo. Nihil petit, nisi ut alloquio, hoc est, ipsò Romana facundia ore frui possit, dum Lotharii est. Scis æquilas solis conspectum ferre; etiam hæc doctissimorum Virorum in Belgio Sultibus se intrepida. offert. Nam & ea loqui potest, quæ à doctrina & humanioribus literis aliena non sunt, & ea scribere, quæ sexum anteveniunt. Inclaris hic apud nos multo retro annis Belgicâ poësi, grata maximis Patria Viris, quæ nominis & eruditionis fama eruditorum vulgo secretis.*

η) Soror



- u) Soror Cornelii van Veen. de quâ cit. Barlaeus in Epist. 332. p. 665. ad Fratrem ita : *ubi ari incisa fuerit Apolonia soror non fraudabo eam debitis laudibus. Nōsi vīcam ab ingenio, castitate & morum sanctitate, etiam ab artibus, quas plurimas calluit. Hoc Epigramma in Sororem si non placeat, dabo aliud :*

Sculpīs Apollineam frater germane sororem,  
Et tamen hic nullam sculpīs Apoloniā,  
Sculpe oculos, exsculpe manus, exsculpe capillos,  
Hoc, quod dextra nequit sculpere, Apolonia est,

- §) Scripsit res gestas Dionysii, Clem. Alexandr. lib. 4. Stromat. p. 381. edit. Heins.
- †) Hanc Tatianus initio libri *ἡ εὐδαιμονία* ex Hellenico refert primam docuisse *ἡ σοφία συντάξιον*. Vid. Lambec. l. c. cap. XI. f. 209. Clem. Alexandr. lib. I. Strom. Tiraqvell. Tom. 2. in XI. legem Connub. gloss. prim. part. XI. f. m. 199.
- \*) *Matrona eruditissima*. vid. Schurm. Epist. ad D. Simonds d' Evves; pag. m. 218.
- λ) Prima Galeatii Malatestæ Pisauriensis principis filia & Gvidonis Montifeltrensis urbinatim Comitis uxor, *miræ eruditionis, quâ prædita erat persæpe periculum fecit. Nam cum doctissimis viris, sæpe non sine laude disputasset, & latine de humana fragilitate atq; de Verâ religione luculentos quosdam libros edidit.* Baptist. Fulgof. lib. 8. cap. 3. Tiraqvell. l. c. f. 200.
- μ) Virgo sacra Cœnobii Vilecentis, quæ scripsit vitam S. Adelheidis, Petr. Lambec. l. c. cap. 27. f. 265.
- ν) Magius dedicat. in Cornél. Nepot. f. 387.
- §. 2. Damophila, ξ) Elisabetha Regina Angliæ, ο) Elifabetha Palatina, ω) Epicharmi Poëtæ filia, ς) Fundani filia, σ) Gertrudis Reyneri. τ)
- ζ) *Sapphus in doctrinâ Comes atq; imitatrix, carmine composuit libros amatorios, prout ex Philostr. refertur in officin. Joh. Ravif. Text. p. 461. & apud Petr. Lambec. l. c. cap. 10. f. 205.*
- ο) *Celeberrima & potentissima singularis exempli femina.* Conrad. Rittersh. Comment. in vit. Bilibald. f. 3. sub hujus nomine opera Olympiæ Fulviæ Moratæ emisit Cœlius S. C. Hac teste Thoma Lansio in Consult. Orat. pro Gallia p. 188. seq. *Virtute suâ omnibus bonis principibus præluxit; femina præter multas corporis dotes supra sezum prudens; multiq; literis expolita Græcè & Hispanicè mediocriter Latine verò, Gallicè & Italicè ad miraculum docta, quæ uno eodem die tribus maximorum regum Legatis, Latine uni, alteri Gallicè, tertio Italicè respondere audita est.* Plura de hac Regina lege apud Caspar. Laudisfmann. Aurimont. Siles. J. C. in Consiliis de



addiscendis lingvis exoticis Gallica & Italica p. 100. seqq. ubi eam  
deprædicat *ut sapientissimam & Eloquentissimam, in cujus corde  
tot resederint Græcæ, ut tota Gratiola & tota benigna dicta & ap-  
pellata fuerit.* Addit Autor cit. l. c. carmen, quod sibi Londini  
in regia curia ab Aulico quodam docti ssimo dictatum fuerit, in quo  
indicatur Reginam lingvis exoticis exultam atque exultissimam  
extitisse, est autem sequens:

Si quæ Virago prius doctas, si culta per artes  
Fœmina, si lingvas docta celebris erat.  
Hanc quoque ceu quondam plures numeravit Elifam,  
Reginis addet fama que virginibus.  
Nec minus huic plaudet, varias quæ Fœmina lingvas  
Quæ doctas Artes noscere prompta fuit.

Commendat in illo quoque loco Laudismannus admirabilem Re-  
ginæ hujus pulchritudinem; & hac occasione commemorat quoque  
picturam quandam, quæ Basileæ visitur, in qua mors atra non re-  
spiciens ad formositatem reginarum eas ad choreas trahit, hanc  
autem Reginam præ cæteris Mors atra ita compellat ad choreas  
suas illam trahens:

Regalis tibi mando tori svavissima consors  
Deponas mundi gaudia vana tua.  
Nam mortalis ad ereptos è carcere vitæ,  
Percelerè tecum jam properabo pede.  
Muneribus mors non pretiosis flectitur atra,  
Omnes unde viam cogit inire suam.

*Cui regina respondet:*

Heu nemo adest mortalium  
Qui possit hoc sævissimo  
Levare me discrimine,  
Ubi meæ pedissequæ?  
Ah dum micabat prospera  
Fortuna, mecum plurimum  
Facundum agebant otium:  
Mors parce nunc moram dato

Con-



Confer. quæ annotav. supra th. 3. §.

π) Hodie Abbatissa Herfordiensis, de cujus admirabili eruditione me nuper literæ Amici cujusdam certiore reddiderunt, quod in omnium linguarum peritiâ, in omni Philosophiâ tam sacra quam profana scientiâ in omni Historiarum notitiâ se excellat, ut quædam superius æsum in suâ Elisabethâ Angliæ Reginâ immortalem gloriam nactum fuerit, nostro tamen ex Principe hac laus major debeatur, quæque ante plures jam dum annos, dum in augusto Serenissimi Electoris Brandeburgici Palatio commoraretur, de abstrusioribus Philosophiæ & Theologiæ sermones, & disputationes, cum doctissimâ aula Viris, præsertim cum doctissimo Thom. de Cnesbec sæpe miscuerit, ut referant quæ coram audierint homines fide digni. Huic quoque Serenissimæ Principi antea citatus Hottingerus, ad Archipalatinas vocatus Musas, Charitem hanc in salutem præterire nolens inscripsit Part. V. Histor. Eccles. ubi in dedicat. ita eandem adfatur: Ipsa Tu, cum altero illo, (Anna Mar. Schurm.) nobis orbis prodigio (sicut ita mihi Uliræ ætatem fidus, & omnis bona literatura cornu copiæ Hieronymi verbis compellere) toti pridem, rarò ullius sæculi exemplo, probastis ubi, sexum muliebrem, neque à solida linguarum notitiâ, neque abstrusâ Philosophiæ tractatione, neque etiam sublimi rerum Theologicarum inquisitione, totaque ad hæc literarum, tam sacrarum quam profanarum ἐγκυκλοπαιδεία abhorreere. Non repetam, Serenissima atque Celsissima Princeps, quæ alii jam magnò Tuò meritò, de excellentissimi & incomparabilis ingenii Tui sagacitate, judicii ἀκρίβεια stupendâ; studiò linguarum Latinæ, Græcæ, Gallicæ, Italiæ, Hispanicæ indefessò; Historiarum lectione præsentis semper & attentò animò suscepta; controversiarum examine rigidò, scripserunt & retulerunt &c.

ε) Aret. lib. 9. Epist. 8. p. 283.

ε) de hac Plin. ad Marcellin. lib. 5. Epist. 16. hæc puella nihil unquam festivius, amabilius: nec modò longiore viâ, sed prope immortalitate dignius vidi. Nondum annos quatuordecim expleverat & jam illi annis prudentia, matronalis gravitas; & tamen foeditas puellaris, cum virginali verecundia, puella supra ætatem viritate prædita.

τ) Extat ad hanc epist. Westeli. p. 914. ubi p. 917. Valde mihi placent liberalium studiorum tuorum profectus.

§. 3. Henrietta Catharina Caroli L. B. à Frisen natu major, filia, φ) Herrad à Landsperg, φ) Hipparchia, χ) Hippolyta Taurella, ψ) Johanna Papissa. ω)

\*) Extra ordinem factum est, ut, uti in Priori ita & in hac poster. Diatrib. Illustrissimæ hujus Virginis mentionem faceremus, cum, quod & supra falsi sumus, extra ordinem sit erudita. Neque enim h. h. reti-



reticendum erat præcipuum Ipsius Encomium publicum, quod in  
priori Diatr. ob pagellarum angustiam nimiamque festinationem  
exprimi non poterat. Tribuitur autem illud Ipsi ab Eiusdem cha-  
rismatum conscio, Theologo atque philologo primicerio, Dn. D.  
FR. RAPPOLTO, in peculiari carmine, quod lib. Miscell. p. 287. seqq.  
inseruit, quod ipsi tanquam *Virgini supra sexum & seculi genium pia  
atque erudita*, uti inscriptio habet, cum anno 1665. Lipsiam ve-  
nisset, gratulatus est, in quo elegantissimo carmine in cæteris ita  
quoque eandem adfatur:

Quid loquar? Aonias Te famâ æquare puellas,  
Et Latias nobis (reddere vellé nurus?  
An generi miscere tuo titulisque Camenas,  
Et vetus abjectis conciliare decus?  
Qvales Heroum nec iniquo sanguine Sponfas  
Alta Croton Samiâ prætulit arte viris:  
Mascula vel qualis modulata est pedine Sappho,  
Clausa suis numeris verba sonante chely:  
Vel Latiis cecinit Graji quæ immortua chartis,  
Imperii occidui nupta Serena Duci.  
Qvicquid id est, raris te cernit dotibus orbis,  
Posteritasque viros inter adulta canet.

Præterea Gratulatorium hoc carmen immediate excipit pag. 289.  
non minus elegans Elegidion de Anonymo Carmine in *aussica-  
tissimum conjugium Serenissimorum Principum Hereditariorum  
Electoris Saxonici ac Regnorum Danica Norvagiæ*, scripto A. M.  
DC. LXVII. ex quo si tamen quis harioletur Eandem hanc illu-  
strissimam Virginem istius Epithalamii, quod adeò mirificè deprædi-  
catur, Autorem fuisse fortè non errabit, liceat interim in præsentem  
aliquot disticha ex illo excerpere, eaque huc transcribere, ut ap-  
pareat Poësin laudatissimæ hujus Virginis non esse vulgarem, ita e-  
nim insit laudæus carminis Autor:

Qvæ nova inassvetis aperit se carminis ætas?  
Infolito geminos quis canit ore DEOS?

Et paulò post:

Qvisquis es, antiqvos exæqvas carmine vates  
Et superas numeris secula nostra tuis.  
Nec mage suppresso nos fallis nomine, natam  
Qvam poterat Tyria fallere veste Venus.

Esse



Esse DEAM vultus notat, & vox æmula divi,  
Et plusquam humanâ prompta sagitta manu.  
Nosceris, & doctô te prodix carmine nobis,  
Proditur argutô Lesbia ut ipsa sonô.  
Jamque humiles penitens linqvis post terga bathyllos,  
Et major cunctis vatibus astra petis.  
Utque DEOS propius contingis sanguine, versu  
Sic infra positos splendidiore graves.

Denique Principem ita adfatur :

Da veniam, PRINCEPS, tacitisque ignosce Camenis,  
*Non poteris versu nobile cani.*

Adde & hoc, quod in Epist. dedicat: Poëmat. Heroic. ad Illustrissimos ac Generosiss. Dominos, Dn. HEINRICUM & CAROLUM L.B. à Friesen, jam laudatus Vir fatetur, unam hanc Viraginem edendorum poëmat. suorum extitisse causam, *Totam verò, inqviens, carminum compagem immortalis seculi decori HENRIETTÆ CATHARINÆ, Viragini supra laudem, in solitum adscribetis, quæ ut ingenio est & amore in has literas, non desit, ad edenda illa identidem me hortari; & cum annuisse aliquando visus essem ut debitum postea hoc, quicquid est, repoposcit. Quod ego ne malum essem nomen, omni studio evitandum mihi judicavi, ut solererem, nec tanta Heroïna temerè auctoritatem defugerem.* Easdem quoque tibias inflavit dum vixit Poëf. prof. in vicinâ Acad. Witteb. Dn. M. Otho Prætorius, in fasciculo carminum cui titulus: *Secessus Rethaviensis ad Illustrissimam ac longè Eruditissimam Virginem Dominam Henriettam Catharinam Friesam, Liberam Baroniss.* in cujus præfat poësin Excell. hujus Viraginis ita commendat: *quæ felicitate & ipsa pangis carmina, non Sernaculâ tantum sed latinâ etiam lingvâ, & composita ab aliis quàm libenter lecturas? Non de ceteribus poëtarum nunc dicam, quorum monumenta assidue tra-ctas & summò & solo studio; nostris temporibus si quid scriptum elegantius venustiusquæ proditum literis est, non minore versare industria soles, quàm astimare judicio didicisti.* Huic Secessui Rethaviensi Excell. Ostermannus p. p. olim Witteberg. præfixit carmen in quo ita laudatissimam hanc Virginem deprædicat:

Cujus politum mille ab artibus doctis  
Et Eruditum fertilis Liger pectus,  
Et fluminum rex ipse Mœnus, & flavum  
Mosæ vadum, tum limpida Oderæ terga,

E

Et



Et illa princeps omnium ipsa terrarum  
 Italia sic volens veretur, ut secum  
 Mirata mites post ferociam longam  
 Septentriones, sceptrâ sponte submittat  
**GERMANICARUM PRINCIPI PUELLARUM.**

- ☞) de hac ita Joh. Walchius Schorndorffens. in decad. fabul. dedicat. (c)  
 1. 2. doctissima Virgo hac, eademq̄e poëtria, cum optimis literis in-  
 genium haberet excultissimum, lingua Romani, egregium quendam  
 librum, in quo insignes quasdam ac memorabiles res in gratiam to-  
 tius corona Hohenburgica, atq; omnium nobilium Virginum, quæ  
 diuini cultus ergo, in augustissimâ illâ totius Alsatiæ speculâ consti-  
 xerant, ac, quod vita supererat, Deo & Virginitati consecraverunt,  
 ex Veteri ac novo Testamento congregati, cui titulum fecit Orulo deli-  
 ciarum præfixa doctissima quædam præfatione, quæ ab omnibus eru-  
 ditis non sine admiratione legitur. Quam hisce, ni fallor, exordi-  
 aur verbis :

Salve cohors virginum  
 Hoheneburgensium  
 Albens quasi lilium,  
 Amans DEI filium,  
 Herrad devotissima  
 Tua fidelissima &c.

*Obi liber, concinne admodum Holofericò villosò colore tinctò coccineò, vestitus, ante aliquot, non ita plures annos, Hohenburgò Tabernas translatus, etiamnum hodie visitur, rarum antiquitatis monumentum propriâ Herradis manu scriptum.*

- κ) Uxor Cratetis Clem. Alex. lib. 4. Strom. p. 381. edit. Heinf. Lambec. l. c. cap. 14. f. 220. Fulgos. lib. 8. cap. 3.  
 ψ) Castilionis uxor, extat Epistola Elegiacè conscripta hujus ad Balth. Castilion. qui apud Leon. X. pontif. Rom. Orator, operibus Olymp. Moral. p. 267. quæ simul quoque inter Balthas. Castil. carmin. p. 78. seqq.  
 ω) Dicta Johannes Anglicus inter Leonem IV. & Benedict. III. Pontificatum summum gessisse fertur anno 885. ad quem ob incomparabilem eruditionem evecta fuit. Cum enim ab Ephēbis virum mentita cum Amasio viro docto Athenas se contulisset, ibi literis ad eò operam navasset sedulam atq; diligentem, ut Romam veniens paucos haberet doctrinâ pares, inde legendò & disputando doctè & acutè tantum benevolentia & auctoritatis sibi comparavit, ut mortuo Leone in ejus locum omnium consensu Pontifex crearetur. vid. Martin. Polon. Nicol. III. Papæ penitentiari. & dein Archi-Episcopus Con-



Consentin. in Chron. ad Ann. 355. *platina pontificum* Svetonius de vit. pontif. ad papam Johann. VIII. qui autores simul annotant illam inextingvibilem meretriciæ Romanæ sedis maculam, quam infelix hæc puerpera ipsi adpersit.

§. 4. Isabella Nicolai Everadi filia, α) Isabella Jönensis, ε) Isabella malateffa, γ) Lathenia Arcadia, δ) Lavinia Ruverensis, ε) Lucretia Barberina, ζ) Lucretia Borgia, η) Lucretia Marinella, θ) Lucretia Morata, ι)

α) Soror Johannis Secundi, qui eam in Epist. ad ipsam lib. 1. epist. 5. p. 402. *unicam gloriam sexus feminei* vocat. Scripsit de ea quoque & ab eruditione commendat Valer. Andr. Dessel. Biblioth. Belgic. p. 685.

β) *Nobilis femina Barcinonensis, optimarum literarum studio & vigilantis ingenii fertilitate; tum Viri & moribus Paula Romana persimilis.* Tom. II. Hispan. Illustr. p. 822.

γ) Scripsit ad hanc Leonardus Aretin. tractatum de literis & studiis. Confer Amusium Havemannii sect. 2. cap. 35. p. 706.

δ) Apud Platonem philosophabatur. Clem. Alexandr. lib. 4. Stromat. pag. 381.

ε) Extat ejus epistola Latina ad Olymp. Morat. p. 89. cui Olympia respondet epist. seq. p. 90. & in epist. ad Curion, p. 103. dicit *se hæc nullam doctiorem in Italia nosse, & quod maximum omnium esset, piæ esse.* Extant & aliæ Epist. Morat. ad Laviniam hanc pag. 105. 107. 121. 173.

ζ) Parisiensis virgo nobilis, cui Gabriel Naudæus dedicavit Leonard. Aretin. de studiis & literis tractatum A. 1647.

η) Vid. Bemb. p. 143. poem.

θ) Schurm. p. 92. opusc. tractatus hujus extat, cui titulum fecit: *la nobiltà è l' excellenza delle donne con difetti è mancamenti de gli haomini.*

ι) Extat epist. Cæli. S. C. ad hanc lib. 2. Epist. p. 195.

§. 5. Margaretha Sibylla Löseria gente Einfidelia à Syrâ, κ) Marcia Varronis filia, λ) Maria Cunitia, μ) Maria d' Entieres, ν) Maria Holgia, ξ) Maria Jarsia Gornacensis, ο) Maria Lansbergia, π) Maria de Succa, ρ) Medicæ quædam fœminæ, σ) Moderata fonte, τ)

κ) Fœmina Generosissima, Generosissimi Magnifici atque maximè strenui Domini CONRADI LÖSERI, Toparchæ in Salitz. &c. Sereniss. atque potentiss. Elect. Sax. Consiliar. Camerar. atq; Marschalli &c. Vidua, quæ eruditissima Fœmina à trium superiorum facultatum studiò haud vulgari commendatissima Orbi literato innotescit. Quòdenim non primoribus tantùm labris degustaverit Theologiam id in cæteris probant ejusdem meditationes sacræ, quas prope



pediem DEO dante sub titulo Politicæ Christianæ in publicam emittet lucem. Nec Theologica hac Eruditione minor est ipsius Eruditio Juridica, uti in norunt qui coram in fœmina eam admirantur. Inprimis excellit hæc Minerva Mithica in arte Medica atq; experimentis chemicis, indeq; Sennertum sibi adeo familiarem reddidit, ut *Sel ad ungem eundem calleat*. Ex quibus facillè con-jicere licet non vulgarem quoque esse Ipsius eruditionem Philo-sophicam atq; Philologicam, quarum adminiculò in sublimiori illa eruditione adeo excellit, & quod admirationem auget major 27. annis non est. Veluti id omne nobis constat ex literis Nobiliss. Am-pliss. Experient. atq; Excell. Dn. D. Jacobi Jodoci Raaben Archi-atri Altenburg, famigerat, Patroni nostri Magni, quocum experi-menta sua communicat.

- 2) *Non solum docta literis sed etiam pictura & sculpturâ, quæ tamen Si-ros nunquam aut pingere soluit, aut sculperet, ne partes, quæ na-tura pudendas effecit, fingere cogeretur.* Bisciol. Tom. 2. p. 1006.
- 3) *Bicini in Silesia hodie etiamnum vivens, quæ eruditionem suam in lin-guæ & scientiis theoreticis satis superque prodidit editione Urania propitia sive tabularum astronomicarum Latin. Germ. anno 1650. uti Voetius eandem commendat Polit. Ecclesiast. part. 2. lib. 1. tr. 4. cap. 2. quæst. 7. an conveniat mulieribus studia sapientia & lite-rarum. p. 204.*
- 4) *Tornacensis mulier docta* anno 1539. Vid. Valer. Andr. Dessel. Biblioth. Belgic. p. 642.
- 5) *Illustri Beloborum genere nata Dana, Tom. Bartolin. p. 286. de luce ani-malium.*
- 6) *Putean. append. 4. Epist. 35. Schurm. p. 349. Opusc. femina tantâ elo-quentia, ingenii doctrinaque fama prædita ut ubiq; etiam doctissi-mis os obstruere potuerit, quæ verba sunt l. c. Gabr. Naudæi. Scri-psit præterea libellum, cui titulus, L'egalité des hommes & des femmes. Schurm. Opusc. p. 69.*
- 7) *Soror Francisci & Philippi Lansbergiorum celeberrimorum in Belgio conciona-torum Roterodami & Gesæ; quorum hic variis in mathefi & chro-nologiâ editis scriptis orbi innotuit. Erat illa in literis Latinis & Græcis versata, & in poësi satis felix, uti memini me deprehendisse ex plurimis ejus epistolis Latinis & Græcis epigrammatibus. (quorum aliqua ad Serenissimam Angliæ Reginam Elisabetham) libro ali-cui inscriptis, quem filius ejus Joh. Leur. J. Leurinus, Eugd. Bata-vorum in studio tunc commilito noster ante annos 60. præterproptèr mihi iustrandum & speciminis causa partim aliqua in eâ legenda dabat, partim ipse prælegebat. Quid illi libro factum & in quorum manibus nunc delitescat, ignoro. Voet. l. c.*
- 8) *Miraculum sexus sequioris ob eruditionem vocatur à Valer. Andr. Des-sel Biblioth. Belgic, p. 642.*

9) Com-



o) Commemorat has Olaus Borrich. Medicus Regius, in Acad. Hafn. Prof. P. in de ortu & progressa chemiæ Disput. p. 51. & dicit eas esse Italorum Isabellam, Cortesiam, Gallorum, Sigvilloniæ, Britannorum, Kentiam, Danorum Bertam Frisiam, Annam Vvecheriam Germanorum & alias infinitas maritorum & familiarium beneficio in re medica incliyas.

\*) Lib. 2. delle cose notabili divinet. p. 133.

§. 6. Philippa Lazæa υ), Porrina φ), Puteanæ Sorores χ), Renata ψ), Rilindis ω) Rusticiana α), Telefilla β), Tesselæ γ), Themistoclea δ), Theodora ε), Thessalidis Argivæ fœmina ζ), Victoria Columna η) Zeneti θ), Zenobia ι).

υ) De hac ex literis celeberrimi Philologi Dn. DAUMII, Rect. Cygn. sequentia annotamus est hac Polona Illyrica cuius Phalacium ad Job. Jacob. Brissardum extat in Poëmatum ipsius editione Metensi 1599. in 8vo & Sapphicum p. 317. Scripsit alioq; vitam Catharina Sapphicæ carmine, quam idem laudat ibidem p. 317. qvæ de eâ passim commodatæ, qvæ eò oblectatus non pauca ad oram libri notavit, gratiasq; pro communicatione egit, cum antea ab ipso primam accepissem editionem in 16. Sittii profodius non semel culpabilem.

φ) Civis Laliæ Bisciole, qvæ Latine, Græcè, Hebraice non vulgariter docta, magnos Oratores, Poëtas, Philosophos legit & interpretatur, & de Encyclopadia graviter & perite cum eruditissimis hominibus diserit, Civitatis nostræ Mutinæ ornamentum, Italiaq; decus. Bisciol. f. 1006.

χ) Anna & Christina, Vid. Eryc. Putean. Epist. 16. fercul. 2.

ψ) Ducissa Ferrariæ, à Curione de Liberis educand. p. 62. vocata regia ac plane discina fœmina.

ω) Idem laudatus Daumius in aliis literis ad Amicum hæc communicat: Vixit anno 1093. Abbatissa Bergensis in Episcopatu Eistadiano, ad Sorores Alitonenfes & versûs extant in Zehneri Grammaticæ.

O pie grex, cui cœlica lex est nulla dolo fex,  
Ipse Sion mons, ad patriam pons, atq;ve boni fons,  
Qvi via, qvi lux, hic tibi fit dux, alma tegat crux,  
Qvi placidus ros, qvi stabilis dos, virgineus flos,  
Ille regat te commiserans me, semper ubiq;ve.

α) Boëtii uxor filia Symmach. l. 9. epist. 10.

β) Poetria. Clem. Alexandr. lib. 4. Strom. p. 381. Lambec. l. c. cap. 12. f. 214. Alfred. Thesaur. Chron. 51. poët. p. 485.

γ) Soror Annæ Roemerix qvæ de S. I. tit. ζ) qvæ poëma Belgicum pangit in (unmorû Poëtarû insidiam. Barlaeus epist. 440. ad Eryc. Putean. p. 867. Inprimis verò Barlaeus Tesselam hanc mirificis laudibus extollit in dialogis suis Nuptialibus pag. 9. Almaria, inqvrens celeberrima



TESSELA habitat; illa, quæ sexum ingenii, Virtutum & artium plurimarum claritate amictu venit, ut merito à Zulechemi Domino dicta sit.

- - Almerii faxq; Pharosq; foli.

Tota matrona mihi miraculum est, & consummatissimus superum, si ita fas loqui labor. Ingenio nihil divinius sublimius quæ. Ea concipit in quæ non penetrant vulgares anima, quicquid demissum ac humile, pedibus calcatur, ipsis nubibus contemplatione altior, apophthegmata non fabricat, sed fundit. Sententiis restonsisq; arguta est & faceta. Versus scribit non unâ lingvâ, Belgicos, Gallicos, Italicos & illos elaboratos, ut lucernam oleant, & reconditorum sensuum plenos, ut à secundâ tertiâque lectione doctior redeas. Videbam in adibus variarum artium exquisitissima monumenta, nec enim supellecilem suam emit, ipsa fecit, opum suarum mater, hospes, artifex. Pingit penicillò, & Apellem provocat. Sculptit & Praxitelem lacescit. Textit & net Arachnes amula, canit in insidiâ Sapphus, testudinem pulsat Orphei instar aut Amphionis. Lemniscos & corollas è fructibus, foliis, floribus, conchis eò artificioso conueniat & ordinat, ut dubium sit, an natura arti, an ars natura concedat. Flores byssò representat, ut videre jures. Ea accuratio & elegantia scribit, ut prelis dudum sua laus decefferit. Orationi scada inest & mira venustas, oculos & recundia, incessum modestia, gestus comes graditas insedit. Anima virtus una est. Sed quæ reliquas omnes  $\sigma\upsilon\lambda\lambda\eta\sigma\theta\eta\nu$  habet, Græci  $\delta\iota\alpha\mu\alpha\sigma\tau\iota\eta\nu$  κατὰ λέξ vocant.

d) Fulgos. Lib. 8. cap. 3.

e) Johannis Sinapii Medici Herbipolens. filia. Oper. Olymp. Morat. Lib. 2. epist. p. 136.

2) Fulgos. lib 8. c. 3. fortissima, præter alias virtutes temporibus suis doctissima habita est. Epigrammata atque alterius generis carmina peritissime scripsit.

n) Olympiæ soror docta quoque. Vid. lib. 2. Epist. p. 175.

9) Tom. H. Hispan. Illustr. p. 821.

d) Politian. præfat. in Sveton. p. 590. Volater. lib. 20. p. 472. Fulgos. lib. 8 cap. 3. cujus ingenium, virtus, prudentia tanta fuit, ut & Græcis & Romanis fuerit admirationi. Cælius S. C. præfat. in Opera Olymp. Morat.

§. 7. Atque hæc sunt illa fœminarum eruditarum exempla, quæ sicco pede præterire fas non erat, quibus equidem facile plura potuissent adjungi, nisi instituti ratio nos hinc subsistere iussisset κ), Interim L. B. remittimus ad illos qui ex institutò integros Catalogus fœminarum eruditarum texuerunt, quorum aliquos supra λ) nomi



nominavimus, quibus hoc loco adjungimus Hilarionem de Coste  
(μ), Hottingerum ν) atque Ludovicum Jacob. à S. Carolo ξ), qui vi-  
deri, poterunt.

2) Vit. Proœm. Pr. Disp.

λ) in Disput. pr. th. 2. §. 2.

μ) Inscriptio Libri ipsius Gallici hæc est: *Les Eloges & Vies des Regnes, Princeſſes, Dames & Damiſſelles illuſtres en Piété, Courage & Doctrî-  
ne, qui ont fleury de noſtre temps, & du temps de nos Peres. avec l'ex-  
plication de Leurs deſiſes, Emblemes, Hieroglyphes, & Symboles. à La  
Reyne. par F. Hilarion de Coſte, Religieux del' Ordre des Minimes de  
Sanct. Francois de Paule, A. Paris. 1630.*

ν) in dedicat. Epist. ad Sereniss. Elisabeth. Palat. Parti V. hist. Eccles. præ-  
fixa.

ξ) pollicetur hic fœminarum Bibliothecam in Biblioth. Pontif. p. 302.

§. 8. Atque sic per DEI gratiam spatium hoc nostrum e-  
mensum esset, quod cum initio aggrederer, nescio quam mihi brevi-  
tatem pollicebar; ubi verò paulò penitiùs inspiciendi dabatur copia,  
bone DEUS, quam larga & copiosa mihi obveniebat messis rerum  
præstantissimarum, nec minùs jucundarum, quas præterire nefas esse  
videbatur, & inprimis thesis ultima plura postulasset, nisi pagella-  
rum angustia consulendum fuisset, quæ tamen forte aliâ occasione  
nobis inservient. Cæterum plurima uti aliàs ita & in hac materia  
me debere Hodego meo *Ἰανμάσιω* THOMASIO gratus uti ab  
initio ita & sub finem profiteor. Nec parum me juvit *πολυμαθία*  
76 Dn. D. PAULUS HÖNN: Vir magni Nominis atque Consiliar.  
Saxo-Ducal. Coburgic. Eminentiss. dum per literas mihi nuper re-  
centiores rarioresque Autores in hac materia prolixos, indeque to-  
ties in hac posteriori Diatr. à nobis citatos indigitavit, quam itidem  
singularem Patroni Magni benevolentiam hoc loco gratus reticere  
nolui. Interea & ante omnia

FILIO  
VIRGINIS-MATRIS  
MEO JESU SIT HONOR:

Ad



*Ad Præstantiss. Dn Respondent. Philos.  
Cand. Digniss. Audit. ac Amic.  
M. Dilectiss.*

**N**uper Parodiam explicabas æmulam :  
Nunc eruditas prædicabis fœminas,  
Aptè: sequntur namq; fœminæ Viros  
Oden Poëtæ prompta ceu Parodia.

*L. Val. Alberti, P. P.*

---

**I**nunc & Musas ter ternas Gracia jacta,  
Exangves Nymphas, exanimesq; Deas.  
Teutonicas potius vivas mirare puellas,  
Artis & ingenua devenerare Deas.  
**SMALCIUS** en! mecum sistit, velut inqve tabellâ  
Ordine depictas exhibet hæc tibi,  
Quò simul Aonium Doctissimus ore disertò  
Fœminæ parti vindicat Ipse decus.  
Macte hac laude, Sophasq; tuere, breviq; Sophorum  
Ordo Tibi Sophies conferet omne decus.

*Eruditissimo  
DN, RESPONDENTISUO,  
Amico itidem mellitissimo  
L. M. Q.  
i.*

PRÆSES.























invenietur scientia in mulieribus, sive de  
tellectum id velint, sive quod verisimilius est,  
nii acumine, qua tamen nulla audacior esset  
hyperbole, convincere erroris ac temerarii a  
bimus.

XVI.

Illud interim, dum ad ipsum, quanquam  
admodum exemplorum recensum altera Dissertat  
bit, monendum superest, cum nequidem ad  
que suæ arcana mulieres admittere velint suas  
res, vix esse, cur magnum aut qualemcunq  
eruditionis apparatus ab iisdem nobis promitt  
postquam, quam alieno sit animo tota gens E  
na externa & literatura Græca Latinaque non  
verum etiam Philosophia addiscenda, satis sup  
si a Lusitanis, hodie certe, discedas, uti vix r  
inter eruditissimos cætera Judæos vel prima  
pientiæ externæ rudimenta teneat, nemin  
versato ignotum esse potest; magno quidem  
versionis ac salutis impedimento & singulari,  
vino justoque judicio, quo fieri solet, ut quæ  
ipso latine plerunque scribuntur, (non satis  
hac ratione instar clausorum Librorum, ut pr  
XXIX. n. 12. illis sint, quos nec evolvunt ac l  
queunt, multominus intelligunt aut in animu  
longo majori suæ nationis dedecore, quippe q  
olim toti terrarum orbi ad inveniendâ disciplina  
creta & excolenda eadem præluxisse non post  
rum Doctorum est sententia scriptis haud prole  
quintimo ab ipsismet Judæis, quorum aliquis o  
& disciplinam Paganorum יניחו להם חכמי  
העברים



a iti  
nge-  
uam  
vide-  
  
rum  
lice-  
egis-  
octo-  
fanæ  
rtim,  
ctri-  
aiori  
t, &  
sque  
t sa-  
con-  
con-  
di-  
ersus  
filio)  
b Es.  
gere  
; At  
tiam  
n fe-  
Viro-  
bata;  
tiam  
לקק